



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum liberum arbitrium sit potentia vel non.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

dum qd est in natura creata possibili ad defectu. Ad III. dicendum, quod voluntas divina se habet ad opposita, non quidem ut aliquid velit & postea nolit, quod eius immutabilitati repugnaret: nec ut possit velle bonum & malum, quia defectu bilitatem in Deo poneret; sed quia potest hoc velle & non velle.

Ad IIII. Dicendum, quod hoc quod electio sequatur consiliu, quod cum inquisitione agitur, accidit electioni, secundum quod invenitur in natura rationalis, quae veritatis notitiam capit per discursum rationis: sed in natura intellectuali, quae habet simplicem acceptioem veritatis, invenitur electio abique inquisitione procedente, & sic electio in Deo est.

ARTICVLVS IIII.

Primum liberum arbitrium sit potentia, vel non.

Q Varto queritur, vtrum libe. arb. sit potentia vel non, & videtur quod non: libe. m. n. ar. bi. secundum Aug. facultas est voluntatis & ronis: facultas autem dicitur quasi facilis potestas, cum ergo potentie facilitas ex habitu proueniat, quia secundum Aug. habitus est quo facile quis agere potest, videtur quod lib. arb. sit habitus.

¶ 2 Præ. Operationu que dam sunt morales, qdã naturales: sed facultas quæ est ad operationes morales, est habitus, nō potentia, sicut patet de virtutib. moralib. ergo & libe. arb. quod importat facilitatē ad operationes naturales, est habitus, nō potentia.

¶ 3 Præ. Secundum Phil. in 2. Phy. si natura faceret nauim, faceret eam sicut ars, ergo facilitas naturalis est eiusdem conditionis cuius est facultas, q̄ fit per artes: sed facilitas quæ fit per artes, est habitus quidam ex operibus acquisitus, sicut patet in virtutibus moralibus ut arte fieri dicamus omnem id, quod ratione agitur, ergo & facultas siue facilitas naturalis, quæ est lib. arb. erit habitus quidam.

¶ 4 Præ. Secundum Phil. 2. Eth. habitus sūt secundum quos nos aequaliter agimus, potentie vero sū quas simpliciter agimus: sed lib. arb. nominat non solum id, quo agimus, sed id, quo aequaliter agimus. si libere, ergo lib. arb. nominat habitū, sed dicendum, quod cum dī, habitus est quo aequaliter agimus, intelligendum est bene, vel male.

¶ 5 Sed contra, illud quod est de rōne habitus, omni habitus est commune: sed bene & male agere nō est commune omni habitui, nam habitus speculatiui non se habent ad bene vel male, ut dicitur, ergo bene vel male agere nō est de ratione habitus.

¶ 6 Præ. Id, quod tollitur per peccatū, nō potest esse potentia, sed habitus: lib. autem arb. tollitur per peccatū: quia ut Aug. dicit homo utens male libe. arb. & se perdit & ipsum, ergo libe. arb. est habitus, & non potentia, sed dicendum, quod verbū An. intelligitur de libertate gratiæ, quæ est per habitū.

¶ 7 Sed contra, habitu gratiæ secundum Aug. nullus male utitur, ergo libe. arb. quo aliquis male utitur, non potest libertas gratiæ intelligi.

¶ 8 Præ. Ber. dicit quod lib. arb. est habitus animi liber sui, & sic idem quod prius.

¶ 9 Præ. Facilius est exire in actum cognitionis, q̄ operationis: sed potentia cognitionis datus est aliquis habitus naturalis, si intellectus principiorum, q̄ est in summo cognitionis, ergo & potentie operative siue motiue datus est aliquis habitus naturalis. Cū ergo supremū locum i motiuis lib. arb. tenere videat

atur, videtur quod sit habitus vel potentia per habitum perfecta.

¶ 10 Præ. Potentia non restringitur, nisi per habitum: sed voluntas & ratio restringitur in libe. arb. voluntas enim est possibilis & impossibilis, cum tamen lib. arb. non sit impossibile, similiter ratio est eorum quæ sunt in nobis, & eorum quæ non sunt in nobis, libe. autem arb. solum eorū q̄ sunt in nobis, ergo libe. arb. habitū nominat.

¶ 11 Præ. Sicut potentia nominat aliquid superadditum essentie, ita facultas dicit aliquid superadditum potentie: quod autem superadditur potentie, est habitus, cum ergo libe. arb. sit facultas, videtur quod sit habitus.

¶ 12 Præ. Aug. dicit quod lib. arb. est vitalis, & rationalis anime motus: sed motus actū nominat, ergo libe. arb. est actus, & non potentia.

¶ 13 Præ. Iudicium secundum Boet. est actus iudicantis, arbitrium autem idē est quod iudicium, ergo & arbitrium est actus: sed hoc quod additur liberum non trahit extra genus actus: quia actus liberi dicuntur, qui sunt in potestate agentis, ergo libe. arb. est actus, & non potentia.

¶ 14 Præ. Secundum Aug. in li. de Trin. id, quod excedit suum subiectum, inest alicui essentialiter, non accidentaliter. vnde probat, quod amor & notitia in sunt menti essentialiter: quia mens, non solum seipsum amat & cognoscit, sed alia: libe. autē arbi. extendit se ultra subiectum: quia anima libere agit in ea, quæ sunt extra ipsam, ergo libe. arb. essentialiter inest anime, & ita non est potentia, cum potentia essentie superaddatur.

¶ 15 Præ. Nulla potentia educit se in actum: sed lib. arb. educit se in actum cum voluerit, ergo libe. arbi. non est potentia.

SED CONTRA, Secundum Phil. in 2. Eth. tria sunt in anima, potentia, habitus & passio: libe. autem arbi. nō est passio, cum sit in superiori anime parte: passio autem, & passibilis qualitas sunt solum circa partem sensitiuam: similiter non est habitus, cum sit subiectum gratiæ, habet enim se ad gratiam secundum Aug. ut equus ad fessorē, habitus vero non potest alterius habitus esse subiectum, ergo relinquatur, quod liberum arbitrium sit potentia.

¶ 1 Præ. Hoc videtur inter potentiam & habitum distare, quod potentia quæ se ad opposita habet per habitum determinatur ad vnum: sed libe. arb. nominat aliquid ad opposita se habens, nullo modo determinatum ad vnum, ergo libe. arbi. est potentia, & non habitus.

¶ 2 Præ. Ber. dicit, tolle libe. arbi. & non est quod saluetur: sed id, quod saluetur, est anima vel anime potentia, ergo libe. arbi. cum non sit anima, quia ad solam partem superiorem pertinet, relinquatur quod sit potentia.

¶ 3 Præ. Magister dicit in 2. sent. 24. dist. illa anime rationalis potentia, qua velle bonum uel malum potest utrumque discernens, lib. arbi. nuncupatur, & sic libe. arbi. est potentia.

¶ 4 Præ. Ansel. dicit quod libe. arbi. est potestas conservandi rectitudinem voluntatis propter se, & sic idem quod prius.

RESPON. Dicendum, q̄ libe. arbi. si uis uocabuli attendatur, nominat actum: sed ex usu loquendi tractum est ut significet i quod est principium actus. Cum n. dicimus esse hominem libe. arb. nō intelligim⁹ qd̄ actū libere iudicet, sed quod hēant in se unde possit libere iudicare. nū si iste actus, q̄ est

Li. r. Hypo noticō non precul a prin. tom. 7.

p. de Tri. c. 4. tom. 3.

Ca. 5. ta. 5.

Li. 3. Hypo noticō a med. li. 10. 7.

In li. de li. arb. non re mota a pri.

Magister li. 2. sent. di. 24.

Li. de Concordia gratiæ & libe. arb. cap. 1.

est libere iudicare, habeat in se aliquid quod vim potentie excedat, tunc liberum arbitrium nominabitur habitum vel potentiam per habitum perfectam, sicut moderate irasci dicitur aliquid, quod vim irascibilis excedit. nam moderari iram passionis non potest irascibilis per seipsam, nisi fuerit aliquo habitu perfecta, secundum quem in ea rationis moderatio imprimatur. Si vero libere iudicare non importet in se aliquid, quod vim potentie excedat, liberum arbitrium non nominabitur nisi potentiam absolute: sicut irasci non excedit vim potentie irascibilis, unde proprium eius principium potentie est, & non habitus. Constat autem quod iudicare, si nihil addatur, non excedit vim potentie eo quod est alicuius potentie actus, scilicet rationis per propriam naturam, sine hoc quod aliquis habitus superadditus requiratur: hoc autem quod additur libere, similiter vim potentie non excedit. Nam secundum hoc aliquid libere fieri dicitur, quod est in potestate facientis: esse autem aliquid in potestate nostra inest nobis secundum aliquam potentiam, non autem per aliquem habitum. Et per voluntatem, & ideo liberum arbitrium habitum non nominat: sed potentiam voluntatis vel rationis, unam siquidem per ordinem ad alteram. Sic natura electionis progreditur ab una seorsum per ordinem ad aliam, secundum hoc quod philosophus dicit 6. Ethic. quod electio est appetitus intellectui, vel intellectus appetitui: patet etiam ex dictis, unde quidam moti sunt ad ponendum liberum arbitrium esse habitum. Quidam enim hoc posuerunt propter id, quod superaddit liberum arbitrium super voluntatem & rationem, scilicet ordinem unius ad alteram: sed hoc non potest ratione habitus habere, nomine habitus proprie accepto. Nam habitus est qualitas quedam, secundum quam inclinatur potentia ad actum. Quidam vero dixerunt libere arbitrii esse habitualem potentiam confidentes facilitatem, ex qua libere iudicamus: sed hoc ut iam dictum est, ratione potentie non excedit.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod aliquid dicitur esse facile dupliciter, uno modo, propter remotionem impedimenti, alio modo, propter appositionem adiutorii. Facilitas igitur pertinens ad habitum est per adiutorii appositionem: nam habitus inclinatur ad actum, hanc autem facilitatem non nominat libere arbitrii, eo quod quantum est de se non inclinatur in unum magis quam in aliud: sed nominat facilitatem, quae est per remotionem impedimenti, eo quod liberum arbitrium non impeditur aliquo cogente a propria operatione, & ideo Augustinus proprie liberum arbitrium facultatem nominavit non facilitatem: quia facultas hoc importat, ut aliquid sit in potestate facultatem habentis.

Et similiter est dicendum ad secundum & tertium, quae procedunt de facilitate habitus.

AD III. Dicendum, quod in actu duplex motus potest considerari, unus qui pertinet ad rationem habitus, sicut cum bene vel male aliquid agitur: alius qui pertinet ad rationem potentie, sicut cognoscere in materialiter convenit intellectui ex ipsa natura potentie: modus igitur importans in hoc quod dicitur libere iudicare non pertinet ad aliquem habitum superadditum: sed ad ipsam potentie rationem pertinet, ut dictum est.

Et per hoc patet solutio ad quintum.

AD VI. Dicendum, quod homo male utendo libero arbitrio, non totaliter ipsum perdidit: sed quantum ad aliquid: quia, si post peccatum non potest esse sine peccato, sicut poterat ante peccatum.

AD VII. dicendum, quod quamvis gratia nullus possit male uti: libero tamen arbitrio habente gratia libertatem potest aliquid male uti, prout dicitur aliquid male uti, quod est principium mali usus, ut potentia vel habitus. Si autem dicatur aliquid male uti, sicut obiecto usus, sic virtutibus & gratia male uti contingit, ut patet in his, qui de virtutibus superbiunt.

AD VIII. Dicendum, quod Bernardus improprie habitum accipit pro quacumque a facilitate.

AD IX. dicendum, quod duplici ratione aliqua potentia habitum indiget, primo quidem, quia operatio quae est per potentiam educenda excedit vim potentie, quamvis non excedat vim totius naturae humanae: alio modo, quia totius naturae vim excedit, & hoc secundo modo habitibus indigentibus animae potentie, quibus actus meritori eliguntur, siue sint affectivae siue intellectivae: quia in hominibus modi actus non possunt nisi habitibus gratiae superaddantur. Primo autem modo indiget habitum intellectus, eo quod intelligere aliquid non potest nisi aliquid similetur ei per speciem intelligibilem. Unde oportet species intelligibiles superaddi, quibus actum exeat intellectus: species autem aliquis orationario habitus efficit, & eadem ratione appetituum inferiores, irascibilis habitibus indigent: unde posuerunt virtutibus moralibus. Quod enim actus moderati sunt, non excedit naturam humanam: sed excedit vim dictarum potentiarum. Unde oportet quod id, quod est superioris potentie, sit in eis imprimatur, & ipsa sigillatim rationis in inferioribus virtutibus perficitur virtutes morales. Activa autem superior non indiget hoc modo aliquid habitum, quia naturaliter tendit in bonum sicut connaturale, sicut in proprium obiectum. Unde ad hoc quod velit bonum, non requiritur habitus, sed ostendatur sibi per vim cognitivam. & ideo Philosophus in voluntate non posuerunt aliquem habitum, nec naturalem, nec acquisitum: sed ad dirigendum in operativis posuerunt prudentiam in ratione, & temperantiam, & fortitudinem, & alias virtutes morales in irascibili, & concupiscibili: sed secundum theologos in voluntate ponitur habitus charitatis propter actus meritorios.

AD X. Dicendum, quod ista restrictio rationis & voluntatis non fit per aliquem habitum superadditum: sed per ordinem unius potentie ad aliam.

AD XI. Dicendum, quod facultas quae est per inclinationem habitus, addit supra potentiam aliquid, quod est alterius naturae scilicet habitus, sed facultas quae est per remotionem coactionis addit determinatam naturam potentie, quod tamen pertinet ad ipsam naturam potentie sicut differentia, quae superadditur generi pertinet ad naturam speciei.

AD XII. Dicendum, quod Augustinus definit liberum arbitrium per actum proprium, eo quod potest per actus cognoscuntur. Unde predicatio illa non est essentialis, sed causalis.

AD XIII. Dicendum, quod quamvis secundum proprietatem vocabuli liberum arbitrium actum nominet, tamen secundum usum loquentium ad significandum actus principium est translatum.

AD XIV. Dicendum, quod notitia & amor dupliciter possunt comparari ad mentem. Uno modo, ut ad amantem & cognoscentem: & sic ipsam mentem non excedunt, nec recedunt ab aliorum accidentium similitudine. Alio modo, possunt comparari ad mentem, ut ad amatam, & cognitam: & sic excedunt mentem, quia mens non solum se amat, & cognoscit, sed etiam alia.

capit. 4. non procul a fine tom. 5. in istis art.

Loco citato in arguis.

alia, & sic recedunt ab aliorum accidentium similitudine. Nam accidentia alia illo respectu quo comparantur ad subiectum, non comparantur ad aliquid extra; sed agendo comparantur ad extra, in herendo ad subiectum. Amor vero & notitia alii quo uno modo comparantur ad subiectum, & ad ea quæ sunt extra, quamuis aliquis modus sit quo comparantur ad subiectum tantum. Sic ergo non oportet, quod amor & notitia sint essentialia menti nisi secundum quod mens per suam essentiam cognoscitur & amatur.

Ad xv. Dicendum, quod ratio procedit de potentia passiva ad esse; qualis est materia prima, quæ non producit se ad actum, non autem locum hæt de potentia operatiua, qualis est liberum arbitriū quæ ad actum ducitur per obiectum.

ARTICVLVS V.

Verum liberum arbitrium sit una potentia uel plures.

Qvinto queritur, utrum liberum arbitriū sit una potentia, uel plures. & uidetur quod sit plures potentia, ut enim dicit August. liberū arbitriū est facultas uoluntatis, & rationis: ratio autem & uoluntas sunt diuersæ potentia. ergo liberum arbitrium ad diuersas potentias pertinet.

¶ 2 Præ. Potentia cognoscitur per actus: sed libero arbitrio ascribuntur actus diuersarum potentiarum, ut enim dicit Damasc. in 2. lib. de Libero arbitrio, in nobis hoc contingit putari moueri & non moueri, impetum facere & non facere, appetere, & non appetere, & alia huiusmodi, quæ certum est ad plures potentias pertinere. ergo liberum arbitrium est plures potentia.

¶ 3 Præ. Boc. dicit in lib. de Consol. diuinitis substantias. scilicet angelis liber. arbitrium secundum hoc inest: quia est in eis perspicax iudicium & uoluntas incorrupta: sed perspicacitas iudicij ad rationem pertinet. ergo liberum arbitrium includit in se uoluntatem & rationem, & ita liberum arbitrium est plures potentia. sed dicendum, quod est una potentia habens uirtutem duarum.

¶ 4 Sed contra, sicut in parte superiori anime inuenitur cognitua & affectiua, ita in parte inferiori in parte superiori non est aliqua potentia, quæ habeat in se uirtutem cognitua & affectiua. ergo nec in parte inferiori.

¶ 5 Præ. Boc. dicit in lib. de Consol. Philosophiæ, quod extrema seruitus est, cum mentes humane uitiis deditæ, mox inscientia nubæ caligant, & pniciosis turbantur affectibus; seruitus autem de qua ibi loquitur, libertati arbitrii opponitur. ergo liberum arbitrium includit in se rationem & affectum: & sic idem quod prius.

Sed contra, Homo dicitur minor mundus, in quo in eo maioris mundi similitudo inuenitur: sed in maiori mundo non inueniuntur duæ extreme nature sine media. ergo nec in hōie inueniuntur duæ potentiæ extreme sine media. Inuenitur autem una potentia in homine, quæ semper tendit in bonum. scilicet synderesis, & alia quasi huic opposita quæ semper inclinatur in malum. scilicet sensualitas. ergo inuenitur aliqua una potentia, quæ se habet ad bonum, & malum, & hæc est liberum arbitrium: & sic videtur, quod liberum arbitrium sit una potentia.

RESPON. Dicendum, quod duplici consideratione fuerunt quidam moti, ad ponendū liberū arbitriū esse plures potentias. Vna quidem ex hoc, quod

A videbant per liberum arbitrium nos posse in actum omnium potentialium. unde ponebant liberum arbitrium esse, quasi totū uniuersale respectu omnium potentialium: sed hoc esse non potest, quia sic sequeretur quod in nobis sint multa libera arbitria, propter potentialium multitudinem: multi enim homines sunt multa animalia. Nec hoc ad pondum cogimur ratione predicta. omnes enim actus diuersarum potentialium non referuntur ad liberū arbitrium, nisi mediante uno actu, qui est eligere. Secundum hoc enim libero arbitrio mouemur, quod libero arbitrio moueri eligimus, & sic de aliis actibus. Unde ex hoc non ostenditur, liberum arbitrium esse plures potentias; sed esse unam potentiam mouentē sua uirtute potentias diuersas.

B Alia uero consideratione mouebantur quidam, ad ponendum pluralitatem potentialium in libero arbitrio ex hoc, quod uidebant in actu liberi arbitrii concurrere aliqua, quæ ad diuersas potentias pertinent. scilicet iudicium quod est rationis, & appetitum, qui est uoluntatis. Vñ dixerunt liberum arbitriū colligere in se plures potentias per modū, quo totū integrale continet suas partes. Hoc autem esse non potest. Cū enim actus, qui libero arbitrio attribuitur, sit unus specialis actus, scilicet eligere, non potest a duabus potentijs immediate progredi; sed progreditur ab una immediate, & ab altera mediate, inquitur. scilicet quod est prioris potentia, in posteriori relinquitur. unde reat, quod liberum arbitrium sit una potentia.

C AD PRIMUM ergo dicendum, quod Aug. dicit liberum arbitrium esse facultatem uoluntatis & rationis: quia ad actum liberi arbitrii homo per utramque ordinatur potentiam, licet non immediate.

AD II. Dicendum, quod liberum arbitrium non ordinatur ad actus diuersarum potentialium, nisi mediante uno actu proprio suo, ut dictum est.

AD III. Dicendum, quod Boc. attribuit libero arbitrio id, quod est diuersarum potentialiarum, in quantum per diuersas potentias homo ad actum liberi arbitrii ordinatur, ut dictum est.

AD IIII. Dicendum, quod in parte irrationali, uel inferiori anime est solum simplex apprehensio ex parte cognitiua: non autem alia collatio, uel ordinatio, sicut est in apprehensiuâ rationali. & ideo in parte sensitua appetitus absolute fertur in obiectum sine hoc, quod aliquis ordo ex apprehensiuâ in appetitiua relinquitur. unde in parte sensitua non est aliqua potentia comprehendens in se aliquam apprehensiuam & appetitiuam, sicut est in parte rationali.

AD V. Dicendum sicut ad IIII.

ARTICVLVS VI.

Verum liberum arbitrium sit uoluntas, uel alia anime potestas a uoluntate distincta.

Sexto queritur, utrum liberum arbitrium sit uoluntas, uel alia potentia a uoluntate. & uidetur quod sit potentia alia. Illud enim quod predicatur de aliquo essentialiter, non dicitur ponitur oblique in definitione eius, sicut animal non ponitur oblique in definitione hominis: sed ratio & uoluntas ponuntur oblique in definitione liberi arbitrii. dicitur enim facultas uoluntatis & rationis. ergo liberum arbitrium non est ratio uel uoluntas: sed alia potentia ab utraque.

¶ 2 Præ. Differentiæ potentialium cognoscuntur secundum differentiās actuum: sed eligere quod est actus liberi arbitrii, est aliud quam uelle, quod est actus uoluntatis, ut patet per Philos. in 3. Eth. ergo liberum arbitrium est alia potentia a uoluntate.

¶ 3 Præ.

In illis art.

In corp. art.

In p. q. 8. a. 4.

Cap. i.